

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. VIII. Lopus et Grus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

*Praefat ingenium formae.*

Vulpes cum forte forma eleganti laruam visideret: o! quanta, inquit, haec species est, sed cerebrum non habet. Propter illos hoc dictum est, quos fortuna honoribus cumulauit, prorsus vero ingenii et naturae dotibus priuauit.

## F A B. VIII.

*Lupus et Grus.*

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,  
Bis peccat: primum, quoniam indignos adiuuat:  
Impune abire deinde quia iam non potest.

Os deuoratum fauce cum haereret Lupi:  
Magno dolore vietus, coepit singulos  
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.  
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,  
Gulaeque credens colli longitudinem,  
Periculosa fecit medicinam Lupo.  
Pro quo cum paetum flagitaret praemium: 10  
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput  
Incolumē abstuleris, et mercedem postulas.

*Malorum mala fides.*

Qui gratiam propter merita et praemium expectat ab improbis: duplex peccatum committit: primum, quod ope sua indignos iuuare studet: alterum, quod ipse maximum ab auxilio suo detrimentum et calamitatem accipit. Cum os deuoratum lupi haereret fauce: maximis ille affectus doloribus, obuiam sibi factos omnes, dicto laboris insigni pretio, permouere studet, ut tanto se liberaret malo. Grus tandem, promissione iureiurando firmata, vinci-

A 5 tur,

tur, ut collum immitteret in lupi gulam, suoque periculo doloris extraheret caussam. Pro eo beneficio cum stipulatam postularet mercedem: animal ingratum es, inquit lupus, quod caput meis faucibus commissum potuisti seruare saluum, et aliud praemium requirere non vereris.

## FAB. IX.

*Passer et Lepus.*

Sibi non eauere, et aliis consilium dare,  
Stultum esse, paucis oftendamus versibus.

Oppressum ab aquila fletus edentem graues,  
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernitas  
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? 5  
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum ra-  
Questuque vano clamitatem interficit. (pit,  
Lepus semianimus mortis in solatio:  
Qui modo securus nostra irridebas mala,  
Simili querela fata deploras tua. 10

*Tibi consule.*

Paucis demonstrabo versibus, stultum esse,  
qui sibimet ipsi non consulere, et aliis consili-  
um dare velit. Passer obiurgat leporem, quod  
ab aquila oppressus fortunam suam largis de-  
ploraret lacrimis. Vbi iam, inquit subridens, tua  
vbique laudata velocitas? Siccine pedes tui  
cessare potuerunt? Dum loquitur, accipiter  
passerem imprudentem arripit, et frustra cla-  
mitantem laniat. Quod cum lepus videret se-  
mianimus: mortis quoddam a socio capit sola-  
tium, ac miserum te! inquit, qui rerum tuarum  
ad eo